Pont. Max. ad Cæſarem ſæpè legatus ſit. Is cùm mihi multa de Cæſaris imperii magnitudine atque opibus narraſſet, oſtendit ad extremum monſtrificas quaſdam rerum ſpecies, quas ab Indorum regibus ad Cæſarem miſſas, atque ſibi ab eodem Cæſare donatas eſſe affirmaret. Eæ magna ex parte gemmæ quædam ampliores fuerunt, tam confuſis metallorum generibus, ut neque diſcretum quicquam in eis appareret, & multarum etiam animantium ſimulacra exprimerent, eaque non tam fortuito linearum colorumque concurſu, quàm ipſa extantis materiæ mole confirmata. In iis erant anatum roſtra, gallicorum canum capita, pavonum pennæ, atque alia id genus pleraque.

2. Verum omnium admirationem facilè vicit, ejus quæ apud Indos religioſiſſimè colitur, Furiæ perſona, non nativa quidem illa, ſed hominum ingenio precioſè & affabrè deformata. Audiſti enim puto, mira iis gentibus ſuperſtitione eſſe perſuaſum, Deum & Furiam ſic mundi imperium inter ſe initio diviſiſſe, ut illa cœlitibus, hæc inferis & manibus jus diceret: atque ita fieri, ut dum hanc unam ſibi placatam trepido metu cupiant, eam omni etiam divini cultus honore proſequantur. Lignea igitur ejus eſt perſona, ſed cui tenuiſſimum vermiculati operis emblema ita inductum ſit, ut penicillo depicta, non gemmeis teſſellis ornata videatur. Mentum, ſuperiusque & inferius labrum, Cyanei lapilli ſegmentis enitent. Naſus, genæ, malæ, buccæ, ſaphiri micis ſplendent. Supercilia à fronte tenui ex jaſpide tenia diſtinguuntur. Frontem latior è ſmaragdo faſcia præcingit, quæ ſecundum aures leviter demiſſa ad mentum usque utrinq; porrigatur. Superiora rutilo jaſpidis nitore colluſtrantur. Os hians dentes oſtentat quatuor, latos, continuos, candidos, ac item duos, qui rictum hinc atque hinc claudant, exertos, nec aprugnis abſimiles. Eburnei quoque oculorum orbes, ex electro ruffa feneſtrantur pupilla, ſpeculi vim tam abſolutam reddente illa, ut totam hominis imaginem exprimat atque repræſentet. Quæ ad ſuperciliorum & naſi commiſſuras ſubſidet lacuna, ea verò eburneola bulla expletur. Tempora autem iisdem quibus oculi, electrinis ſpeculis illuſtrantur: ſed teretibus iis, non orbicularis. Auriculæ pro perſonæ modo grandiores ex jaſpide effulgent. Omnino res viſenda quidem illa, ſed ſtructura potius & opum magnitudine, quam illa liberalis faciei dignitate. Mihi quidem, ut primum ejus ſpectandæ poteſtas facta eſt, Furiam videre ſum viſus, aſpectu barbaro terram & horridam,

ore